



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ærumnæ D. N. Jesu Christi

Thomé <de Jesus>

Monachii, 1676

Ærumna XXXI. Alapæ Christo inflictæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45834](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45834)

ut filio tuo in hoc similis fiam. Impetra mihi, ut mea gloria sit
pati cum eo, vivere abjectum ac deſpectum cum eo. Non me no-
verint homines, ut notus ſim tibi.

O Angeli, qui adoratis hanc veritatem ! ó Sancti, qui eam
ſecuti eſtis ! laudate pro me Dominum, ut dignetur illuminare
me. Impetrate mihi robur eum imitandi, & ut nolim alium hono-
rem, præter ejus amorem ac ſimilitudinem. Amen.

Æ R V M N A X X X I.
Alapæ Christo inflictæ.

I.



Am fuit evidens falſitas accuſationum Domini,
quibus eum Phariſæi ac Principes populi cogitabant
apud Pilatum adigere in crucem; tanta quoque exi-
ſtimatio ejus & fama apud populum, ut valde me-
tuerent, nec apud populum neque apud judicem id obtineri poſſe,
quod volebant; ſed potiùs honorem & opinionem ſanctitatis vitæ
ac perſonæ ejus inde auctum, & ſe pro calumniatoribus & mali-
gnis habitû iri. Quia ut veritas ac virtus defenduntur à ſeipſis; ita
malitia non aliam rem timet magis, quàm ſeipſam; præſer-
tim ſi ſub ſpecie ſanctitatis incedat, & veneno ſuo plus noceat, &
juſtificetur non apparendo, ſicut virtus prodeundo in lucem. Sed
ut malitia & virtus extremè ſunt contrariæ, ita malitia ſibi ipſi
ſemper diſſidit, ne etiam ſub pallio virtutis ſatis diſſimulare ſeipſam
non poſſit. Quæ cauſa eſt, ut nunquam quieta ſit, ſed novos ſem-
per dolos & nequitias excogitet, utpote quæ metuit omnia. Ita
vera ſit ſententia ſacræ Scripturæ: *Perturbatam conſcientiam ſemper* Sap. 17. 3.
ſeua præſumere: quia videt, quanta ſit cauſa, ut nihil ſibi ex voto
procedat, ſed omnia in contrarium. Et ſicuti cogitat de ſeipſa,
quòd quidvis mali poſſit facere; ita non ceſſat quærere novas astu-
tias, quibus tueatur ſe ab omnibus: quòd fieri non poſteſt, niſi mala
malis addendo.

*Virtus ſei-
psa defendi-
tur mali-
tia ſibi ipſi
timor eſt.*

*Dolo Iudaï
famam,
Domini de-
nigrant*

II. Ita Phariſæi & principes ſacerdotum nihil magis cu-
rabant, quàm ut Chriſti exiſtimationem apud populum evert-
rent, ſuam verò adſtruerent, quam videbant iuxta veram Chriſti
ſanctitatem non poſſe conſiſtere; quòd nimis clarè appareret ipſo-
rum

ram malitia, cum falsitate rerum, quas contra eum proferebant, Cum ergo Domini personam, vitam, doctrinam, & miracula pessimè odissent, & eum jam haberent in manibus, constituerunt astutiâ diabolicâ illum populo contemptibilem reddere, se verò commendare: ad quod usi sunt notâ populi inconstantia & levitate in judicando, ut qui res parùm profundè perspicere, & multùm strepitu, clamore, multitudine, ac specie externâ solet moveri. Propterea cœperunt Christum publicè vexare omnibus contumeliis & injuriis, ut rei gravitate mora plebs rudis & inconsiderata confunderetur in suâ opinione de illo, existimans Pharisæos, qui profitebantur sanctitatem, principes ac sacerdotes nihil tale in illum designaturos, nisi reperissent in illo justam causam, eamque enormem, quam vulgo manifestari non expediat. Et successit eis astus è voto. Nam mox alterâ die populus, qui Dominum secutus erat, ab ejus ore pependerit, obstupuerat ejus miracula, & acceperat eum tanquam delapsum è cælo, vela vertit, & ab eo descivit, versus in hostem.

*Opinionem
populi per-
vertunt.*

III. Servivit eis hæc astutia etiam ad exfatiandum vetus odium contra illum, quod animo dudum inclusum, jam cum furia, gustu & rabie maiore effuderant per injurias, suis & carnificum manibus irrogatas. Initium fecerunt à densis colaphis, quibus veneranda & sacratissima facies ejus livore, tumore, sputis deformata, barba & cæsaries vellicata est. Quod licet noctu fecerint, manè tamen bene apparuit in publico, quid esset perpessus. Servivit insuper eis hæc astutia ad suffocandam justitiam, ac turbandum judicium præsidis. Licet enim is Christum haud nôllet, tamen ex multitudine harum contumeliarum corruptum est ejus judicium, ut pro innocentia etiam perfectâ pronuntiare non pôllet. Unde factum est, ut, cum accusantium auctoritati, ac tumultui plebis non prævaleret, mortis sententiam in eum denique tulerit.

*Judicis cor-
ruptus.*

IV. Acceperat Christus jam apud Annam colaphum ita sævum, ut Ioannes eum, tanquam notabile quid, silentio prætereundum non duxerit. Sed ubi à Caiphâ judicatus est reus blasphemix, certatim se omnes accinxerunt ad ejus injurias. Victis
ergo

ergo post tergum manibus, & fune in collo, forsan & capillo, qui prolixus erat, retentus, ut se non posset avertere, omnium licentiæ fuit expositus. Quanquam illâ industriâ opus non erat: cum enim ipse dudum docuisset, si quis percutiatur in unâ maxillâ, ut etiam præbeat alteram; eam doctrinam exemplo suo confirmandi occasionem neglecturus non erat. Nec refert, quòd hoc apud Annam non fecerit: quia id infirmitatis nostræ solatio dedit, quâ solemus initio cum dolore ferre injurias; assueti postmodum iis, cum delectatione. Instruxit ergo nos, quomodo, licet aliquid patiamur cum sensu, tamen etiam tunc evitare debeamus impatientiam, & indignationem scandalosam, mansuetudine in verbis & gestibus retenta. Nam & ejusmodi patientia Deo placet, quamvis nondum perfecta sit. Ut autem non dubitemus, eadem, si continetur, demum dolorem in delectationem vertendum, & cruciatum in gloriam, quòd aliquid mereamur pati pro Dei amore; voluit silentio pati, quæ illata sunt ipsi in domo Caiphæ.

V. Illa verò colaphorum seges, quàm inhumana, quàm densa, quàm inconditis verbis, & inurbanis gestibus in eum effusa fuerit, cogitatione, aut sermone quis poterit assequi? cogitur odium inveteratum Judæorum, imò Sathanæ ipsius erga Dominum, Judæos incitantis in illum, cum nemo adesset, cujus reverentiâ retraherentur. Isaias conatus est exprimere, qualis fuerit, cum dixit: *Non est species ei, neque decor: & vidimus eum, & non erat aspectus, & desideravimus eum: despectum & novissimum virorum, virum dolorum & scientem infirmitatem, & quasi absconditus vultus ejus, & despectus: unde nec reputavimus eum. Ascendet sicut virgultum coram eo, & sicut radix de terra sitiente.* Denique talis erat, ut idem Propheta præmiserit, non fore qui credat, si à se dici audiverit, eum sic esse deformatum, ut talem faciem nemo reputet factam à Deo: cumque facies magnum argumentum esse debeat sinceri amoris vigentis in animo Christi, id ipsum in tantâ deformatione amplius agnosci non posse.

VI. Erat verò facies Domini tam pulchra, gravis & modesta, ut omnes intuentes ad venerationem permoveret; ac proinde licet odio summo Judæi ferrentur in ipsum; non tamen

*Obvolant
oculos om-
nia intuen-
tes.
Matth.
6. 26.
v. 6. 68.*

ita liberè poterant illud exercere, ut volebant, aliquâ saltem reverentiâ eos retinente. Noverant quoque longâ experienciâ, illi notas esse cogitationes & malitiam suam, quam & nonnunquam detexerat. Ergo ut minore timore, maiore audacia litarent odio suo, velârunt faciem ejus: atque ita eum alapis, pugnis & fannis tanquam morionem tractare cœperunt impudentissimè, dicentes: *Prophetiza nobis Christe, quis est, qui te percussit?* Intolerabilis malitia! qui conferet majestatem hujus divinæ personæ, cum vilitate homuncionum istorum, talia in illam designatum summâ impudentiâ, necesse est, ut obmutescat præ admiratione: præsertim si etiam attendat patientiam, silentium & mansuetudinem Christi hæc tam indigna perpetientis: imò & internam animi dulcedinem erga eos, à quibus & pro quibus ea patiebatur.

VII. Magis tamen admirandum est omni intellectui creato, quod apparet in hoc speculo lucis æternæ, non dico apud eos, qui ista non credunt, neque adorant ut remedia salutis; sed multò magis apud Christianos, qui sciunt solùm virtute & meritis harum injuriarum patere sibi fontes perennes omnium bonorum. Hi tanti faciunt unam alapam, ut non vereantur illi, qui inflixit adimere vitam, & perdere animam suam. Atque hoc licere ita firmiter sibi persuadent, ac si lex foret lata in cælo, in quâ Deus dispensare non velit. O Christiani, quàm malè perpenditis vestram obligationem! cælum exemplo Christi non obtinetur alio modo. Animæ jactura compensari non potest. Nimis nota est differentia majestatis Christi à vilitate peccatoris. Malum esse tolerari à Christiano, quod sustinuit Christus, fides negat: & omnia vera esse, quæ fides docet; falsa verò, quæ improbat, in confesso est. Ex istis despectibus anima firmam spem capit honorum caelestium. Amor accenditur aspectu Christi patientis: sola præsumptio vanitatis, & opinionis terrenæ excæcat mentes Christianorum, ut omnia, quæ videntur in Christo, quæque scribuntur, conformiter doctrinæ Evangelicæ, spargantur in ventum, nec admittantur in animum, quasi essent meræ fabulæ, Admiratione digna, & extra omnem ratio-

rationem est hæc tanta infania, quæ Christianis infedit: quia totus hic error provenit non ab amore salutis animæ, sed corporis, quod sepelitur in terra, & conculcatur; quando jam nihil ei prodest humiliatio: quam si æquo animo tolerassent, Deum sibi obligassent ad largienda sibi bona cælestia cum gloria sempiterna: at ipsi credunt se obligatos ad perdendum potius corpus & animam, quàm ut minimam injuriam ferant. Multa quidem afferunt in excusationem sui, ignorantiam, infirmitatem humanam, occasiones improvisas. At ipsi fatentur hunc esse manifestum errorem contrarium fidei & legi divinæ, & exemplo atque doctrinæ Christi, qui errare non potuit: non igitur excusat ignorantia. Sed neque infirmitas seu passio, cùm rationi prævalere non debeat: neque occasio, nam repudiare potest animus liber. Manet ergo, tantùm ex merâ malitiâ diabolicâ id provenire, & ex perversâ voluntate ac iudicio, quo Christus multò magis offenditur, quàm omnibus alapis, quas in Passione accepit.

VIII. Non potuit Christus apertius declarare nobis mentem suam, quàm cùm dixit: *Qui me erubuerit, & meos sermones, hunc filius hominis erubescet, cùm venerit in majestate suâ, & Patris, & sanctorum Angelorum.* Luce c. 9. v. 26. Æquissimum profectò, ut Christus tueatur hîc suum honorem, nec toleret inter suos in cælo, quos facere pudet in terrâ, quod ipsemet fecit: dum vilissimi & miserabiles peccatores pluris æstimârunt res terrenas, quàm imitationem Regis cælestis; & secuti vanitatem obturaverunt aures & corda veritati suæ doctrinæ. Religiosi honore proprio contempto Divinitur. Gratias Deo magnas debent, qui vitam religiosam professi, liberati sunt ab hac obligatione mundanâ tuendi puncta honoris: ut adeò ipsi homines mundani, qui pereunt ob illa puncta, scandalizentur, si videant illos non imitari Christum in ferendis injuriis: cùm teneantur tueri solum honorem DEI privatim ac publicè, gloriantes de hac suâ felicitate: & caventes omni studio, ne rursus introducant in religionem puncta mundi, à quibus Deus ipsos eripuit. Meminerint autem sæculares, Christum non dispensaturum unquam in veritate suæ legis, nec admissurum excusationem, quòd se imitati non fuerint: cùmque mundum declaraverit suum hostem, conentur

tur eum sibi reconciliare prius, quam veniant ad iudicium. Quamvis enim in hac vitâ fuerit mitis ac patiens, ut amore nostri sustineret omnes injurias; rigidus tamen erit olim in condemnandis iis, qui ob respectum legis & iudicii mundani, noluerint ipsum imitari in hac parte. Equidem his, quibus hoc videtur valde difficile, suaserim, ut confisi misericordiâ Dei, coram ejus majestate faciant generosum propositum, nihil agendi ex iudicio & opinionibus mundi, ne cum vitæ quidem & honoris periculo: factoque hoc generali proposito, diffidentes viribus suis, prosternant se ad pedes domini, & per has ipsas alapas ejus petant gratiam; ut, cum tam potentes fuerint, ut obseratas cæli portas panderent, ac spoliarent infernum, aperiant sibi cog ad excipiendam lucem & gratiam Dei; & expellant à se timorem terrenum, assumendo robur ad validè resistendum omni humano terrori. Quo facto, Christus Dominus noster, qui pro plantandâ in cordibus nostris veritate suâ sustinuit omnes injurias, magni faciet hæc desideria nostra, & operabitur in nobis solita sua mirabilia.

E X E R C I T I V M

Circa alapas Christo inflictas.

I.

Sine me, ô bone Jesu! intueri pulchritudinem divini vultus tui, priusquam profanæ manus crudelium carnificum illam deforment. Adoro te, cælestis pulchritudo! in quam desiderant Angeli semper aspicere: quam admirantur beati; ô lætitia cæli, gloria te amantium, suavis & amorosa captivitas te quærentium! Quis unquam, Domine, audebit mittere manus, & profano tactu contemere divinam hanc faciem? sufficiant tibi, Domine, aliæ injuriæ, quas passus es. Ne permittas, ô amor animæ meæ! ut accedant ad conspurcandam hanc divinam pulchritudinem; ne animæ illâ captæ, & ex illâ viventes, eam non amplius possint agnoscere. O crudi & inhumani! ô saxo duriores! si sciretis, quem habeatis inter manus; si nôsetis pulchritudinem, con-

*Gloriosa
captivitas
quæ nos
faciem.*

tra

tra quam insurgitis, ô quomodo mox mutaremini è feris lupis in agnos! Ego, Domine, ego sum durus, qui video te percuti, & vivo, neque cor mihi ruptum dissilit in frusta. Video ferale odium inimicorum tuorum crudelissimis alapis exerceri in hoc divino vultu; & adhuc manet in me spiritus, nec exanimis coruo, sed oculis intueor te sufferentem has injurias!

II. Quid hoc est rei, bone Jesu? non satis est, videre omnia hæc membra distensa in cruce; sacratissimam carnem dilaceratam flagellis; & hodie nullam partem sanctissimi tui corporis integram fore; ut nec divino tuo vultui parcas, & in ipso fieri velis initium tormentorum? quomodo, Deus meus, inveniri possunt corda & viscera talia, quæ simile quid audeant? quomodo cessat omnis reverentia erga hujus divinæ faciei modestiam, gravitatem & majestatem? & insuper, ut liberiùs percutiant, eam obvelant? Verè, Domine, te delectat humiliari, & exercere mansuetudinem: quod si non ita esset, impossibile foret, exponere divinam hanc faciem impudentissimis istis injuriis. Hic, ô lux animæ meæ! video, quàm procùl absim ab hac humilitate. Edico Cujus desiderium injurias red- dit accepit. palàm omnibus, amore tui me paratum esse tolerare summas, quæ inveniri possint, injurias: sed cùm considero interiora mea, & veritatem dicere volo; quando sufferendæ forent alapæ contra justiciam, & ab hominibus me inferioribus, licet publicè dicam me paratum ad illas, quòd videam vultum tuum adeò tractatum indignè; confiteor meam infirmitatem & miseriam, tunc ego vel multùm turbor, vel magno mihi constat eas tolerare; vel denique omnino non tolero. Et quare hoc, Deus meus? quia mea humilitas consistit solùm in lingua; superbia verò intus est in mea vili natura. Tu, ô divine Agnelle! tanquam humilis corde & animo, & cum gustu, non habes rationem divini vultus tui: tacendo & sufferendo, plenus amore erga ipsos, qui te afficiunt injuriis; te das illis in manus, ut mihi parcatur, qui commerui. Et ego superbus corde & animo, cum exemplo tam efficaci nondum habeo desiderium offerendi me ad alteram alapam, si unam accepero. Quandònam, Domine, humiliabis ac deprimes hanc meam superbiam? quando me facies mitem, & humilem corde?

*Mundana
leges in
Christo ces-
sant.*

III. Leges mundi inveniunt rationem, ut occidam eum, qui mihi infregerit alapam, & æstimem pluris meam faciem, quàm alterius vitam. Sola mancipia non vindicant alapas sibi datas à dominis: & tu, meum summum bonum, pluris æstimas meam vitam ac salutem, quàm sacratissimam faciem tuam. Quis fuit ille, DEUS meus, qui meum servum te fecerit? poterit forsan dici de te, amorem tuum esse cæcum & insipientem? quis es tu, & quis ego, & quis tu propter me? ô secretum! ô ignis! ô altitudo divini amoris! ô amor, qui tam mirabilia facis in hoc domino, pro mei amore! quomodo non mutas hunc vilem terræ vermiculum? ut audeat aliquid pro ejus divino amore, an reperis majorem in me resistantiam, quàm in hac divina majestate? ô me miserabilem, ô frigidum, ô pauperem! quàm longè abssum ab hoc igne? ô qui videret eum accensum in isto corde!

*Ingratitudo
peccatoris,*

IV. Pudet me mei, Domine, cùm video, quòd ii, à quibus tam indignè exciperis, non sint animalia bruta, aut fera, sed homines, ejusdem mecum naturæ, & me filium ejusdem Adami, cuius illi sunt, naturæ tam improbæ, tam cæcæ, tam perversæ, ut cadat in eam odium hujus divinæ pulchritudinis, audacia verberandi hanc faciem, tædium intuendi hunc cælestem decorem, & malitia velandi eundem, ut liberiùs in eum insaniant. Ego, Domine ac DEUS meus, non solùm peccatis meis promerui, quæ tu pateris, & eorum causa fui; sed & natura, quæ te sic tractat, mea est: & ego tamen eam non odi, non horreo meipsum ex corde, sed amo illam & meipsum plùs, quàm te, & legem tuam. O me misellum! quàm sum vilis, dum te non cognoscendo invenio causas te non amandi ex toto, ac tradendi me tibi, ut me ames, me succendas tuo amore, me mutes, humilies & exaltes. O Quando facies mutationem hanc, Domine? quando mihi dabis odium meipsum? quando averfabor rem, quæ sibi relicta sine gratia tua profert tantam malitiam? ô mi bone Jesu! ô mi humilis Jesu! perface in me opus, pro quo tanta pateris: nam si manum tuam tollas à me, pejor sum his ipsis, qui nunc te cruciant: quia sum tam durus, ut, licet alapis te non petam, ut ipsi; tamen me non mutem, non me humilem ex corde, non me penitè horream.

V. O mi

V. O mi bone Jesu ! tantum est odium, quo contra te : *Faciem*
flagrant, ut nolint videre quidquam, quo mitigetur eorum rabies : *DEI ab-*
ideoque velant pulchritudinem & modestiam divini vultus tui. *condit.*
Quomodo, Deus ac Dominus animæ meæ ! remansisti inter ma-
nus tam crudeles, ex odio tam diuturno contra te, quod nunc
erumpit in sacratissimam faciem tuam per tot alapas ? ô amor
animæ meæ ! noli à me abscondere divinam hanc faciem, quan-
tumlibet malè deformatam. Ita illam desidero, ita adoro : mon-
stra mihi eam hoc modo, ut sola tua pulchritudo me capiat ;
amor velati vultus me accendat, me rapiat. Ignosce mihi, Do-
mine, mala, quæ dolet anima mea contra te commisisse. Ah quo-
ties, Domine, vultum tuum velavi, ut liberè sequerer meos appe-
titus ! Jam in eo, quod faciunt hi carnifices, me illumina, ut in-
telligam verè, qualis fuerim hætenus.

VI. Quid agis, Domine, quando lego tuam doctrinam,
audio verba tua, considero, quid pro me feceris, vel per inspira-
tionem tuam intus moveor & vocor, vel agnosco, quis sis, & quid
tibi debeam pro meis peccatis & erroribus, quæque sit via veri-
tatis ? quid, inquam, tunc aliud facis, quàm quòd ostendas mihi
pulchritudinem tuam, ut amem te, & mittas radios tui vultus in
me, ut observem legem tuam, te possideam, & amore tui sinam me
capi ? & ego quid aliud ago, quando cum perfidia mea nolo au-
dire vocationem tuam, neque curo has veritates, oblitus tui, servus *Et propria*
meæ propriæ voluntatis, & vitiorum meorum, nisi quòd velem *voluntas*
lucem tuæ pulchritudinis, quæ me abducat à fœditate meorum *pulchritu-*
appetituum, quos ego sequor, & amo ? O misericordia infinita ! *dinem ejus.*
quæ si infinita non esses, me sustinere non posses ; parce mihi per
infinitum amorem tuum : concede mihi, Domine, ut ab hac hora
non ampliùs amittam te ex oculis meis, sed habeam te semper
præsentem : & sicut hætenus te fugi, sic deinceps te quæram ;
sitque hîc tandem finis meæ cæcitatæ ac duritiæ ; ne propter ea,
quæ feci hætenus, omittas ostendere mihi divinam faciem tuam,
& emollire duritiem animæ meæ ; quandoquidem tua misericor-
dia major est, quàm infelix mea malitia ; túque plus potes igno-
scere, quàm ego delinquere. Hâc horâ me potes mutare, ac

transformare in te. Muta me, Deus meus, amor meus, & Salvator meus!

*Quærentes
Iesum inti-
mè cum eo
conjugi
petunt.*

VII. Sufficiat jam, Domine, quod passus es: fac, ut cessent hi carnifices: ostende mihi divinam hanc faciem, ut eam videns emolliar & plangam, ac liquefactus consumar totus in ejus amore. Judæi velaverint faciem Moysi, quia non poterant sufferre splendorem, quem retulerat à tuo colloquio, & maluerint loqui cum illo, quàm cum DEO, timentes mori: sed animæ, quæ toto corde diligunt te, ô JESU animæ meæ! te quærent, & sequuntur divinam pulchritudinem tuam: captæ immensâ tuâ charitate, desiderant audire vocem tuam, & facie ad faciem colloqui tecum: oderunt omne, quod impedire potest hunc favorem: non ferunt, ut inter te & ipsas quidquam intercedat, ne minimum quidem, quo abscondatur tua cælestis pulchritudo. Moyses, qui te venerat, & ardebat amore tui, tantùm anhelabat ad hanc pulchritudinem, ac petebat, ut, quia tuâ eum dignatus es amicitia, ipsam ei monstrares. Ergo, Domine, quomodo versaris ob oculos obturatos, ut te videre non possim? revela, Deus meus, faciem tuam huic indigno servo tuo, quia ab illa nihil aliud expecto, quàm claritatem, in qua te cognoscam & amem, ac transformer totus in te. Rape, Domine, cor meum: & si aliquando id facturum es, jam facias. Verum est, Deus animæ meæ, si essem tuus, nulla res mihi absconderet radios tuos; sed in omnibus te viderem, te cognoscerem, si fideliter te, & puro corde amarem. Sed, ô salus animæ meæ, quis hoc faciet, nisi tu?

*Quem re-
spicit Deus,
ad peniten-
tiam mo-
vet.*

VIII. Domine mi, Jesu Christe! à te, Dominus ac Deus meus, peto veniam hanc horâ. Recordare, Domine, quod oculi, quos velaverunt Judæi, non potuerint claudi Petro Apostolo tuo, qui te negabat eodem tempore; sed eum respexeris, & radiis tuis cor ejus percusseris, & illuminaveris, ut agnosceret lapsum suum, deploraret, emendaret, & converteretur ad te. Eia, Domine animæ meæ, adhuc idem ipse es, qui tunc eras. Aspice me, Domine, cum misericordiâ: penetra cor meum virtute radiorum tuorum: reduc me ad te, ut agnoscerem meum miserum statum, desleam peccata mea. Transforma me in te, mi dulcis JESU! & pro
tuo

*Resignatio
voluntatis*

tuo me recipe; quia me, quomodo, & quantum possum, offero tibi, hominem
 & in manus tuas configno. Muta me, Domine, ex eo, qui haecenus in Deum
 fui: da mihi tuum divinum amorem, ut semper maneam captus transfor-
 tuâ pulchritudine, mi bone Jesu, mi Domine, Magister & Pastor mat.
 animæ meæ errantis!

O Mater Dei sanctissima! quæ plus aliis omnibus amas pulchritudinem hujus Domini; & magis, quàm alii, sensisti tam deformatum, & plenum livore à crudelibus alapis; quæque præ omnibus creaturis capta semper fuisti specie hujus faciei divinæ; recordare hujus miseri peccatoris, & impetra mihi ab eo, ut his tormentis tuis erudire me velit. Accipe, Domina, curam mei, ut me trahas post te ad divinam pulchritudinem ejus. O sancti Angeli! qui pulchritudine vultûs divini sustentamini: ô curia cælestis! quæ tota capta & glorificata es pulchritudine faciei divinæ; amate, laudate, extollite hunc Dominum, quantum potestis: ardet igne divino pro vobis, & pro me; ac supplete meæ tepiditatis defectus: & quia videtis, quid amittat, qui recedit ab hac pulchritudine, impetrate mihi misericordiam ab hoc Domino, cum perpetua ejus memoria; inseparabilem unionem cum ipso, & odium omnium, quæ ab ipso abducunt. Amen.

ÆRVMNA XXXII

Consputatio Domini.

I.

Simul cum alapis passus est Christus Dominus Ignominiosè
 noster aliud genus contumeliæ, naturâ suâ intolerabile tractatur
 & ignominiosissimum, quo sacratissimum ejus vultum Christus.
 consputaverunt. Quod ipse pro tanto habuit, ut & per Isai c. 50.
 Isaiam prædixerit his verbis: *Faciem meam non averti ab increpan-* vers. 6.
tibus, & conspuentibus in me. Et ipsemet illud postea enumeraverit
 inter præcipua, cum dixit filium hominis tradendum gentibus, &
 illudendum, & flagellandum, & conspuendum. Et meritò graviter
 hoc sensit, quòd alia, quæ pertulit, non sint insolita inter homines;
 at spueri in faciem alterius, communiter extra mores hominum

Zz 3.

est: